

rum natura sententiam amplecti: superstitiosis anicula-
rū & falsis imperitæ multitudinis opinionibus irretiti.

Quid igitur, inquiunt, nihil ne penitus eorum, quæ
vulgo timentur, malorum cometen nobis prenunciare,
& frustra talem de cœlo ignem ostendi putas? Aio equi-
dem non magis à Cometarum incendijs bella, pestes,
Regum interitus, & quæ sunt generis eiusdem porten-
di (multo uero minus effici) quàm ab alijs impressioni-
bus, & quæ multa uariaq; sæpe in aere spectantur, phæ-
nomenis. Quid ita? quia eadem est Cometarum, ut uos-
met ipsi uultis, Peripateticos in eo, & principem eorum
Aristotelem sequuti, quæ aliarum in cœlo flammarum,
materia, eademq; efficiens caussa. In manibus sunt libri
Philosophorum, qui hæc ex naturæ latebris, sensuum
ministerio, eruta, ad rationis examen reuocarunt, atque
horum nobis cœlestium spectaculorum caussas, scien-
ter, quod ad eius fieri potuit, explicarunt. Atq; hi, quos
dico, Peripatetici Solis, aliorumq; siderum insita ui, lu-
mine ac motu, intimos terræ recessus, aquarumq; pro-
funda permeantium, spiritus quosdam, siue fumos, siue
halitus, siue maui exhalationes elici aiunt, quæ calidæ,
atque aridæ cum sint, atque ideo etiã leuissimæ sursum
attollantur, in sublimemq; illum locum facile euolent.
Hæc cōcipiendis ignibus apta materia cū sit, orbis cœ-
lestis agitatione, proximiq; ardore ignis (si tamen ullus
ibi ignis est) non magno negotio inflammatur. Variæ
autem aliorum ignium species existunt, pro situs diuer-
sitate & materiæ cuiusque copia aut paucitate. Hinc il-
la sæpe conspiciamus, de quibus Poeta:

Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,

Signauit q; viam flammis, tenuesq; recessit

Consumpta in ventos. Et illud: Ceu sæpe refixa

Transcurreunt, crinemq; volantia sidera ducunt Cælo.

Apud Philosophos reliquos plura etiam flammarū ge-
nera reperias, quàm apud Aristotelem, qui quidem flā-
mas, traiectiones stellarum, faces, capras, ex eadem pro-
duci